

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
The Gift of
Asa Gray, LL.D,
Fisher Professor in
Harvard University,
27 September, 1847.

# COMMENTATIO

DE

# ARISTOPHANIS AVIBUS.

---

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS AUCTORITATE

PRIDIE CALENDAS APRILES

IN

AULA UNIVERSITATIS LUDOVICO-MAXIMILIANEAE

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS MARTINUS THOMAS
ONOLDINUS
PHIL. D. AA. LL. M. SOC. GRAEC. LATIN. HEBRAEO-PHILOL. LIPS.
SODALIS.

---

MONACHI
IN COMMISSIS HABET LIBRARIA G. FRANZI.
A. MDCCCXLI.

*Ἀεὶ τοῖς μίκκοις μίκκα διδοῦσι θεοί.*

Uti praecipuum est eius qui naviter accurateque rerum perscrutatur historias atque gratissimum officium, non indagandi solum et disponendi iusto ordine res publice privatimque gestas, verum etiam, postquam quid sit factum aperuit, demonstrandi quo illud modo evenerit, qua ratione, quibus causis idque clare dilucideque, unde vita quaedam ac vegetus color impertiatur nudis illis et abruptis lineamentis, ut facile quisque ita necessarium fuisse nec potuisse aliter fieri queat intellegere*), ita litterarum quoque earumque historiae diligens investigator non ad ea modo advertet animi intentionem, quae nobis ab antiquo aliquo populo relicta sint ingenii mentisque monumenta, sed id potissimum reperire studebit atque illustrare, unde sit effectum, ut idem populus aut in certis quibusdam artium litterarumve generibus insigni modo eminuerit aut variis temporibus variam prae se ferat et animi indolem et operum scriptorumque naturam, ne disiecta modo ac sparsa lacerati corporis membra, sed integra offeratur et vitae

*) Cf. Tacit. Hist. l. I. c. 4 in.

succique plena legentibus imago. Quemadmodum enim Prometheus inani massae et rudi corporis formae spiritum dicitur inflasse divinum ac vitalem, sic antiquitatis uti debet reliquiis sagax sollersque homo, ut corpore denuo composito igniculos sparsim reconditos eliciat excitetque ignem, cuius splendor nobis praebeat vel in intimos recessus inspiciendi opportunitatem.

Duae sunt igitur primariae res, ad quas adspirare necesse sit eum, qui iusta ratione et cum fructu aliquo pervestigare velit ac cognoscere antiquarum litterarum historiam et indolem, colligere quantum fieri potest, quae sunt dispersa et saepe depravata antiquitatis monumenta atque componere simul recte ordinateque, deinde causas inquirere ac conditiones, quae illa protulerint ad lucem et qui sit animus ac quale patefacere ingenium, quod apparet fuisse insitum magnis illorum auctoribus. Illud molestum est et parum saepe fructuosum, hoc difficillimum et ad labendum valde proclive, utrumque vero ita comparatum, ut cum ad rem illam ipsam larga inde redundet utilitatis copia, tum is, qui in hisce versatur negotiis, remotus aliquantum a vulgari hominum coetu puriores quodam modo inducat auras ac veram percipiat sinceri gaudii voluptatem. Ceterum neutrum posse ab altero utro disiungi, non erit, quod longius demonstrando persequamur, quum unum sit alterius fulcrum quasi ac fundamentum, quo sub-

ducta etiam quae supra iacent partes collabantur oportent.

Quodsi haec quae exposuimus non videantur abhorrere a veritate, quippe quae sint ex ipsa rei desumta natura, quis est quin debeat confiteri latum hic et amplum apertum esse campum, in quo excurrere possit cognoscique vera inveniendi virtus egregia? quis quin intellegat non unius alicuius hic sufficere virium copiam, sed propositum hoc esse, in quo multi et magni viri et possint et debeant enixe elaborare? Nec sane ex quo tempore restauratum est benigna dei in genus humanum eiusque prosperitatem providentia antiquarum litterarum studium et eruta ex intermortua fere memoria Graecorum Romanorumque excelsa ingenia, defuere homines insignis animi et indefessae industriae, qui in hisce studiis negotiisque operam collocarent fructuosissimam atque recenti potissimum aetate extitere viri egregii, qui de historia antiquarum litterarum et promovenda et collustranda mirum quantum meruere.

Sed quum aliae partes huius historiae iam diutius satis bene essent et dilucide descriptae, illa ora longe fuit caligine quasi nebulisque obtecta, qua offeruntur nobis antiquae comoediae parca quidem sed magnifica monumenta nec nisi nostris temporibus factum est, ut abstersis maculis inveteratisque naevis et externa eorum redintegraretur facies neque internus illorum

contextus atque quae in illis expressa est animi sententia non aperiretur recluderetur que. Quodsi autem nihilo minus multa sunt aut parum recte intellecta et explicata aut plane fere recondita et occulta, eius rei causa cum in ipsius materiae posita est difficultate et boni subsidii inopia, tum in diversis qui hos campos coluerunt tractandi operis rationibus; quorum multi aut inscientes a vero aberraverunt aut praeiudicata opinione opus aggressi non potuerunt non proferre nisi ficta et commenta. Iure enim, quod dicit Godofredus Hermannus in oratione quadam (Opuscul. T. V, p. 317) de hominibus historicis, potest transferri etiam ad litteratos: „accedit, quod qui explicare ista atque expedire conati sunt — dum iure increduli veteres fabulas spernebant, iudicii acumine errores quidem inveteratos expulerunt permultos plurimarumque rerum veritatem stabiliverunt certissime, sed iidem etiam audacia coniectandi non pauca, quae sibi vera videbantur, ita exornarunt, ut novos peperint errores labemque eorum, qui deinceps eadem vellent attingere, simul adiuverint, simul autem etiam auxerint.“

Ego vero qui mihi proposuerim pauca quaedam de argumento et consilio exponere eius Aristophanis comoediae, quae inscripta est nomine Avium, priusquam hoc ipsum conabor pro virili parte praestare, non nulla putavi non esse praetermittenda, quae nobis aditum ad il-

lam docte beneque perspiciendam redderent expeditiorem. Etenim si omnino certum est et exploratum, quod iam inter omnes confessi sunt homines litterarum cultu bene eruditi, unumquodque poeseos genus in ipsa niti cuiusque populi indole ac natura nec posse vigere nisi in certa quadam sive externa internave conditione, qua sublata etiam flores illius ac fructus decidant, tamquam in agris mutata soli caelique ratione illae quoque, quibus antea erant ornati, evanescant plantae et abolescant; id haud dubie maxime obtinet in istis partibus poeseos, quibus continetur comoedia et praecipue in antiqua Atticorum comoedia, quippe quae tam singularis sit tamque cum intima Atheniensium vita publica et privata connexa copulataque, ut nequeat una ab altera segregari et potius illa huius sit primaria imaginis tabula tenuissime expressa; quae eadem causa est, quod non alibi ad eum perfectionis gradum sublatum est hocce poeseos genus neque usquam unde a tempore tot et tanti in eadem arte egregii prorsus interque se aemuli exstitere auctores. Reperiuntur quidem tum apud Romanos tum inter nostri aevi gentes humanitatis doctrina excultas multi nec ii spernendi homines, qui in eodem genere periculum fecerunt componendi fabulas — at quantum interest illos inter et comoedias Aristophaneas? Nam ne dicam de sermonis summo splendore, deque sententiarum verborumque ma-

gnificentia a nemine alio superata et iam ab antiquis celebrata — cui non in mentem veniat epigrammatis illius dubii quidem auctoris sed recte indicantis:

*αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται*
*ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους* —

ubinam illa festivitatis elegantia, ille salsus iocorumque lepor, illa acerrimae ironiae veritas? ubinam tanta irridendi libertas, tanta aperiendi vitia licentia notandique severitas? ubinam ista sagax omnium rerum publicarum privatarumque notitia? ubinam poetae animus ita inclusus atque involutus in ingenii sui artificio?

Haec omnia licet aliqua ex parte pendeant ex animo naturaque universae cuiusdam gentis et proprio singulorum ingenio, tamen maxime nituntur in libera Atheniensium atque admiranda vitae ratione. Athenae enim sitae in loco, quo non alius magis poterat excitare solemnis vitae industriam agilitatemque, circumdatae regionibus, quae fertilitate quidem non abundantia praecellebant, mira amictae coeli temperie, quae ipsa animos videretur moderari*), cultae

---

*) Cf. venustum chori canticum in Euripidis Medea (vv. 824, sqq.):

*Ἐρεχθεΐδαι τὸ παλαιὸν ὄλβιοι*
*καὶ θεῶν παῖδες μακάρων, ἱερᾶς*
*χώρας ἀπορθήτου τ' ἀποφερβόμενοι*
*κλεινοτάταν σοφίαν, αἰεὶ διὰ λαμπροτάτου*
*βαίνοντες ἁβρῶς αἰθέρος κ. τ. λ.*

ei variis quidem gentibus, sed communi legum institutorumque vinculo ad mortem usque addictis *), auctae rebus egregie gestis et amplificatae, unicum fere in historiis ac singulare nobis obtulerunt exemplum, quid possit et quantum perfici per unum populum, qui firmiter teneat, quae sancita sunt maiorum auctoritate ac probata consuetudine, quique uno animi studio ac pio unius patriae amore consociatus ad nihil excitatur, nisi quod magnum est atque praeclarum et communi omnium saluti fructuosum. Hinc ille Atheniensium splendor (λιπαραὶ Ἀθῆναι), hinc focus ar-

ut Cicer. de fato c. 4: Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici.

*) Haec legum consuetudinisque atque pia earum reverentia non erat uti apud Lacedaemonios coecum quoddam obsequium, nec potuit inscribi eorum monumento, qui ad Marathona pugnaverant, quod illorum, qui apud Thermopylas mortem oppetiere:

ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι —

sed libertas legibus ita constituta, quae uti civitati universae vitam ita singulis tribueret salutem, effecit ut in illis conservandis se quisque et defenderet et defendere sese haberet persuasum. Lex est libertas, libertas vita, indeque enata est virtus illa, quam rerum publicarum principium esse scite dixit Montesquieu Gallorum facile acutissimus. De l'esprit de lois l. III. c. 3. Cf. C. Fr. Hermannum in Annal. Heidelb. ann. 1829. Vol. I. p. 598.

tium et litterarum domicilium, hinc altitudo animorum ac sublimis magnificentia. Et medius fidius quanto temporis spatio sunt omnia illa effecta inque lucem prodiicta, quae magna, excelsa, splendida omnium animos admiratione, stupore, lumine perfundunt! Quis credat, ad tantum eruditionis et potentiae fastigium ut tota eniteretur natio, aliquot fere sufficisse decennia? At sicuti pulcherrimi flores qui cito erumpunt e calice celeriter quoque tabescunt marcescuntque, ita Atheniensium respublica in ipso potestatis incremento*) et summi floris fastigio perniciei sui includebat semina, quae primo quidem retenta sunt praepollente plurimorum virtute ac cohibita deinde per unius maxime viri sapientiam **), sed eo absumto morte fatali late

*) Cf. Montesquieu l. X. c. 6: si une démocratie conquiert un peuple pour le gouverner comme sujet, elle exposera sa propre liberté; parce qu' elle confiera une trop grande puissance aux magistrats qu'elle enverra dans l'état conquis, et c. 7. il y a encore un inconvénient aux conquêtes faites par les démocraties. Leur gouvernement est toujours odieux aux états assujettis. Les peuples conquis y sont dans un état triste; ils ne jouissent ni des avantages de la république, ni de ceux de la monarchie.

**) Thucyd. II. 65: Αἴτιον δ' ἦν ὅτι ἐκεῖνος μὲν δυνατὸς ὢν τῷ τε ἀξιώματι καὶ τῇ γνώμῃ, χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος γενόμενος, κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ

agebant radices et mox omnes partes implebant corruptionis veneno, ut sensim rara modo eademque intacta viderentur prioris vitae testimonia. Mox dissoluta sunt ac contaminata, quae sancta antea habebantur et inviolanda, cesserat legum observantia *), defervescebat communis patriae amor, grassabatur luxuria divitiarumque libido, singulorum pollebat arbitrium, quoque quis plus valebat dicendo, eo maiorem sibi poterat conciliare vulgi favorem; irrepserant iam labantis imperii indicia, sophistae ac sycophantae, erat aperta via ne dicam saevitiae tyrannorum, at demagogorum violentiae **), qui non distant ab illis, nisi quod plebem arte ac clan-

αὐτὸς ἦγε, διὰ τὸ μὴ κτώμενος ἐξ οὐ προσηκόντων τὴν δύναμιν πρὸς ἡδονήν τι λέγειν, ἀλλ᾽ ἔχων ἐπ᾽ ἀξιώσει καὶ πρὸς ὀργήν τι ἀντειπεῖν. ὁπότε γοῦν αἴσθοιτό τι αὐτοὺς παρὰ καιρὸν ὕβρει θαρσοῦντας, λέγων κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι, καὶ δεδιότας αὖ ἀλόγως ἀντικαθίστη πάλιν ἐπὶ τὸ θαρσεῖν. ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή. Cf. Plut. Pericl. c. 39.

*) Athenis iam legum sanctitas omnis videbatur perturbata, idque rectissime, unde illud Sophoclis: ὕβρις φυτεύει τύραννον.

**) Acerbe sane dicit Demosthenes in Aristoph. Eqq. v. 191 sqq. isiciario:

ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
ἔτ᾽ ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους
ἀλλ᾽ εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν.

destina ratione deceptam quoquoversus rapiunt trahuntque, quum isti ne se in propatulo appellent populi dominos nequaquam reformident.

Sed uti ferax fuit antea urbs Minervae illustrium virorum, qui essent pro alto libertatis columine, ita etiam illa aetate non defuere, qui, quamquam non poterant impedire vergentis patriae ruinam; tamen pristinorum revocabant memoriam temporum et eorum, qui pugnassent in campis Marathoniis*), recordationem virtutis; qua re nihil ego efficacius putaverim, ubi iam nimis gliscente labe omnia sunt contacta, ad mores emendandos animosque erigendos.

Inter graves vero ac venerandos Atheniensium castigatores quis est qui eat infitias primas partes egisse Aristophanem, qui, quum bene perspiceret aetatis suae et popularium corruptam vitam et inquinatam, nulli parcebat nec ordini nec generi, sed aut acerbe perstringebat taxabatque severe plebis pariter ac singulorum foedas lubidines et perversam agendi rationem, aut insaniam eorum stultitiamque deridendam propinabat aequalibus.

Primaria autem virtus Atticae comoediae est ea, quod in ipso flore libera nec extrinsecus coarctata tota in ipsis versaretur rebus pub-

*) Quantopere delectati sint Athenienses cognomine Μαραθωνομαχῶν, quo nihil lubentius audirent, in vulgus est notum. cf. sis Aristoph. Nubb. 986. Eqq. 781. 1334.

licis atque omnem suam materiam ex domestica quasi repeteret conditione, qua re singulare illud effectum est, ut spectatores non alienos errores aut peregrina deriderent facinora et cavillarentur, sed se ipsos, quin id moleste ferrent, irrisione persequerentur et illusione *); Hoc autem quod alibi videatur singulare, non potuit aliter evenire in Atheniensium civitate, qua omnes una erant et firmissima coniuncti societate; quae quum solvi dirimique esset coepta, quid aliud debebat a bonis incorruptisque fieri hominibus, nisi ut aequalium animis denuo offerrent egregias maiorum virtutes interno illo vinculo stabilitas atque his ipsorum opponerent flagitia darentque irridenda? Haec est praecipua causa, quod omnes fabulae Aristophaneae, quas nobis non eripuit temporum iniqua tempestas,

---

*) Rectissime Roetscherus in libro: „Aristophanes und sein zeitalter," p. 35 sqq.: „Hierin aber liegt die heiterkeit, welche uns aus allen adern der attischen komoedie entgegen sprudelt. Der zuschauer sieht sich selbst in dem, was ihm dargestellt wird, er vernimmt nur sich, schaut nur sich an. Es meint, so zu sagen, einen andern ihm fremden gegenstand zu sehn, aber die handlung und die rede der bühne heben in jedem moment diese erwartung auf." et paullo infra: „Sein lachen über die verkehrtheit jener gestalten, ist ein lachen über sich selbst, in dem er fortwährend beharrt und sich gleichmässig darin geniesst."

et ipsa deperditarum fragmenta, quo videantur et eodem compositae consilio; hoc effecit, ut unaquaeque earum possit conferri cum tabula, quae exhibeat integram et veram vitae Atticae descriptionem. Simul etiam in hoc mihi videtur inesse insigne comoediam inter et tragoediam discrimen; nam quum poeta tragicus, postquam aptam sibi exquisivit materiam aut ex patriae mythis historiisve petitam aut etiam ex alienigenis, eam ita debeat tractare et disponere, ut auditores in iis, qui sustinent personas, egregios conspiciant et sublimes homines, qui propter innatam ipsis virtutem in summa aut coniiciantur pericula aut ea sua sponte subeant itaque saepe in exitium praecipitentur, qua re non potest non spectantium moveri admiratio et misericordia atque efficitur simul, ut in iis emergat inter spectandum magna aliqua et sublimis sententia; illi, qui velit ex Atticorum ingenio componere comoediam, potius id erit prospiciendum, ut cognoscat primum aetatis civitatisque conditionem internoscatque acute, quid in illa pravi fiat aut sanae rationi et legibus oppugnet, deinde vero eam, quam sibi ex ipsa rerum praesentium acri pervestigatione formavit sententiam, exprimat verbis atque in scena veritatis repraesentet imagine, qua se ipsi intueantur spectatores simulque, quibus laborent, morbos et flagitia agnoscant, ita tamen, ut omnia grata sint connexa et splendida festivitate abun-

dentque vero salium iocorumque lepore. Non quidem me fugit esse multos eosque magna auctoritate homines, qui tragicum poetam contendant non accedere ad fabulam componendam, nisi principali quadam sententia praesumta, cui ille idoneam quaerat materiam et quaesitam adaptet; sed confundunt illi artem cum consilio; sicuti enim pictor vel sculptor, qui certam quandam effigiem vel colorum varietate vel scalpro vult exprimere, quodam modo inscius progignit artificium et quo magis processerit in fingendo, eo clarior ipsi et evidentior emerget operis sui internus quasi animus, ita in tragoedia quoque summa illa animi cogitatio non est primarium, verum potius extremum, inque eo ipso inest artis poeticae magnificentia et cernitur altitudo ingenii. Illud vero, quod summum esse contendimus comoediae, egregie praestitit Aristophanes idque quo modo appareat in Avibus iam erit demonstrandum.

Haecce fabula, quae tanta elegantia tamque mira composita est festivitate, ut omnes praedicent egregias eius virtutes nec etiam desint, qui eam ducant poetae nostri summum artificium, propter ipsam hanc artem, qua ad totum aliquod est conformata et quia copia leporum atque imaginum vario lusu ita est vestita quasi et circumvelata vera eius ac primaria sententia, ut fere videatur nulla subesse neque appareat, nisi qui sobrie illam et simplici

modo exquirat, multis tentata est et variis doctorum hominum coniecturis, quorum alii aut plane negaverunt inesse in ea, quae totum capulet colligetque sententiam atque ita simul, quod unicum efficit opus arte compositum, removere, aut in fortuitis quibusdam atque alienis rebus quaesiverunt fabulae originem*). Illorum vero opiniones quum ab aliis iam satis sint refutatae, nobis id modo relictum est, ut ea examinemus ac perponderemus, quae recentioris aevi homines de hac fabula studuerunt disserere.

Inter illos primo loco ponendus est Suevernius, qui in commentationibus Academ. Berolin. class. hist. philol. a. 1827 (ed. 1830) p. 1 — 109 de consilio Avium Aristophanis deque ratione et interpretatione multa exposuit docte et enucleate; verumtamen ista sic sunt

*) Vid. Clodius: Versuche aus der litteratur und moral. T. II. p. 238 — 249. Manso: Nachträge zu Sulzers theorie. T. VII. p. 123 sqq. Beck. Praefat. ad Aves et in Comment. ad Aristophan. T. III. p. 359. Theatre des Grecs par le P. Brumoy. T. XII. p. 152, qui omnes censuere actam esse hanc fabulam, ut Athenienses ne Deceles munirentur a Lacedaemoniis admonerentur aut illi deterrerentur ab hoc conatu aut Atheniensibus monstraretur via, qua se possent malis liberare, urbe nimirum plane relicta. Inter eos qui nihil in hac fabula videbant nisi vagas quasdam et iucundas imagines referendus est Schlegel: dramatische vorlesungen T. I. p. 311 — 13.

comparata, ut nesciam an arguta magis ac speciosa sint appellanda quam vera et probabilia. Eius explicatio, quam ubique acute studuit firmare argumentis vir doctissimus, breviter sic possit repeti. Voluit Aristophanes in hacce fabula repraesentare imaginem populi Atheniensis eiusque certum et magnum tentamen. Jam ex didascaliis aetas esse apparet Aves Olymp. XCI, 2, quo ipso tempore splendida illa Atheniensium Armada susceperat expeditionem Siculam; quam ab Alcibiade maxime praedicatam et effectam esse neque in Siciliam modo, verum multo latius tetendisse; Alcibiadis enim fuisse consilium, expugnata illa insula petere Carthaginem ac Libyam et deinde interceptis ceteris Lacedaemoniorum copiis cingere obsidione Peloponnesum atque hac ratione, ut concederent Atheniensibus summum principatum, subigere Lacedaemonios. (Thucyd. VI., 15. 90 sqq.) Id si ratum factum esset, eadem usuros fuisse Spartanos arcta conditione, qua dei coercerentur in fabula, qui interclusi ab omni victu descenderunt ad foedus uti ipsis iniquissimum, ita avibus splendidissimum (cf. p. 14). Accedere, quod fere nulla res tanto ardore tantoque studio comprobata fuerit Atheniensibus, quam consilium istud oppugnandae Siciliae (Thucyd. VI., 24. Diodor. Sicul. XIII, 2. Plutarch. Alcib. 17. Nic. 12.) Non esse igitur dubitandum, quin hanc rem praeclaram sibi vindicaverit poeta,

unde singularem contexerat fabulam. His praemissis necesse erat demonstrari etiam singula, quae proferuntur in fabula, respondere huic summo quasi argumento; id quod quantum quidem fieri potuit acute atque diligenter exposuit Suevernius. Est igitur omnis fabula quam vocant allegoria nec tamen ea ita stricte accurateque observata, ut nihil inveniatur quod non repugnet (p. 19). Consilium vero fuisse poetae totam rem utpote insanam mentisque expertem illudere ac levitatem populi Atheniensis eiusque temeraria incepta perstringere severe et revocare eos a stolidis eiusmodi tentaminibus. Iam vero singula sic fere exposuit totique adaptare studuit Suevernius. Duo homines continuarum litium pertaesi, Pisthetaerus et Euelpides, ascendunt ad Tereum in upupam mutatum, ut vitam cognoscant avium, et quaesitent urbem placidam et iucundam; ita statim totam rem transferri in aerias regiones et quasi dari ventis (p. 23). Ille vero Pisthetaerus duplicem sustinet personam, Alcibiadis et Gorgiae Leontini, quorum utriusque mores in hoc uno sunt conglutinati (Avv. 427. cll. Nubb. 260), et summus sophista et summus sophistarum discipulus (p. 31). — Euelpides est sophistarum famulus et nomine indicat plebem vel iuventutem Alcibiadi temere se dedentem (Thucyd. VI, 24: καὶ εὐέλπιδες ὄντες σωθήσεσθαι. cll. Plut. Nic. 12. Alcib. 17. Diodor. Sic. XII, 83. XIII, 2, qui omnes dicant de populo

spe expectationeque referto). Tereus est Lamachus, qui saepius notetur propter inopiam ac cristarum pondus (Avv. v. 94. Acharn. 615. p. 36). Aves sunt Athenienses; illae primo arma illaturae novis advenis utpote peregrinis atque infestis motae oratione upupae recedunt, quid isti novi afferant auditurae. Quae deinde exponit Pisthetaerus perorando, sunt parodiae orationis funebris a Gorgia Leontino habitae Athenis (p. 51 sqq.). Postquam aves sunt pacatae, upupa ipsa ut rem strenue aggrediantur hortatur v. 640 sqq. respicique hic ad Demostrati orationem, qui Nicias ob tarditatem graviter reprehenderit (Thucyd. VI, 25. Plut. Nic. 12. Alcib. 18). Quae iam immixta sint et chori carmina et Pisthetaeri actiones, omnia significare vanam et stolidam Atheniensium cupiditatem captandi nubes ventosque, atque ita quidem, ut multa inserta sint, quae ad ipsam spectent expeditionem (p. 61 sqq.). Interdum moenia conficiuntur, i. e. Peloponnesus intercluditur nec ipse consilii auctor non potest satis mirari, quo modo tam celeriter omnia potuerint perfici; quod nihil indicare nisi summam Atheniensium levitatem, qua vel ingentia ac prodigiosa facile se posse exequi sibi persuaserint (p. 77). Iris est navis Peloponnesiorum, quae imprudentes custodes fefellit missa, ut minores civitates ad solvenda exhortaretur debita tributa (p. 79). Quae dehinc enarret nuntius ab hominibus reversus, extinctam ostendere

apud populum esse Laconomaniam et studia revixisse antiquae vivendi rationis. Qui tum inducuntur homines, sunt omnes eiusdem notae omnesque aut prodiere ex scholis sophistarum aut perversa feruntur insania. Prometheus sustinet partes transfugae atque Pisthetaero i. e. Alcibiadi ut sibi arroget summam in Graecia potestatem studet persuadere, id quod factum esset, si ad finem usque perduxisset consilia sua Alcibiades (p. 87 sqq). Dii, qui munere funguntur legatorum, sunt missi a Lacedaemoniis de pace componenda; illi externis haud difficile perducti commodis foedus pangunt cum Pisthetaero eique sceptrum atque imperium concedunt, quod utrumque sibi deposcit a Jove Pisthetaerus; hic iam omnibus extructus imperii insignibus et populo ad laetissimas convocato epulas laetissimo omnium concentu in matrimonium ducit reginam, quo fabulae exitu sophistarum et demagogorum indicatur victoria. Quae si omnia comprehendimus, continet haec fabula allegoriam, qua offeratur nobis imago populi Atheniensium, qui unius hominis audaci animo et diserta lingua commovetur, ut rem aggrediatur non difficilem solum, verum etiam plane non perficiendam, licet in ipsa fabula prosperum habeat eventum, i. e. consilium Alcibiadis omnium rerum potiundi ac se ipsum reddendi totius Graeciae tyrannum.

In universa hac explicatione et argumentatione quamvis multum insit probabilitatis et

speciosae auctoritatis nec pauca haud dubie rectissime sint exposita et docte illustrata, tamen ego nullo modo potui adduci, hoc verum ut crediderim esse egregiae fabulae propositum, atque partem dumtaxat veritatis invenisse Suevernium aut potius rem toti argumento pro huius ipsius natura immixtam duxisse pro primaria, posthac, ubi conabimur veram fabulae indolem et sententiam quantum fieri possit patefacere, luculentius apparebit. Ceteroquin quod Suevernius ipse notavit in antiquissima illa expositione, qua Avium fabula voluerit Aristophanes significare magna pericula, quae possent emergere Atheniensibus, si Decelea a Lacedaemoniis foret munita, hanc rem non videri quae in fabula disponatur accommodatam, praeterquam quod repugnet temporum rationi, id haud scio an possit in ipsius transferri explicationem atque interrogari, sitne vero simile, pravum unius atque perniciosum consilium eo modo tractari a severo Atheniensium arbitro, ut illud ad finem perducatur omnique plausu atque honore concelebretur. At etiam in singulis multa possunt inveniri, quae aut nequeant cum tota ista opinione concinnari aut sibi ipsa repugnent fronte adversa. Primum enim illud videtur valde mirum, quid coegerit Aristophanem, ut uni Pisthetaero duas diversas nec sane eas leves detulerit partes, Alcibiadis scilicet et Gorgiae Leontini; nam quo minus alterum utrum modo cogitemus persona hac indutum esse, pro-

hibent satis graves rationes, quas ne ipsum quidem Suevernium fefellerant (cf. quae hic vir doctissimus disseruit p. 24 et p. 30). Quidni illas iusto modo distribuit, ut etiam magis elucerent diversi duorum mores ac studia? an non suffecerit unum Alcibiadem exprimere consilia sua? Ad quod etiam accedit, copulatis his partibus ut ipse ille Pisthetaerus saepius debeat sui quodam modo oblivisci atque priorem deponere personam, quod frustra ita excusat Suevernius, ut tum poetam verba facere non personatum Alcibiadem arbitretur (cf. p. 84); nec magis potuit comparari Bacchi persona, qua inducitur in Ranis; quippe hic mutatis semel partibus sibi ad finem usque fabulae constat, Pisthetaerus vero priores repetit. Aliam difficultatem ita voluit evitare Suevernius, ut contendat unum aliquod dictum, quod refragari videatur toti consilio, non esse ita magni momenti nec pro vero habendum, sed potius ironiae adtribuendum (p. 95). Qui sit Euelpides personatus fere relinquitur in incerto; ille, quum de certo homine tunc temporis florente nequeat explicari, suscipere debet partes totius turbae Alcibiadi morem gerentis et quidem persona indutus sophistarum famuli vel pedisequi. Nonne vero requiritur concinnitate et, quae aperte inter utrumque intercedit, naturae affinitate, ut Euelpides quoque certum repraesentet hominem, si quidem in Pisthetaero nobis occurrat Alcibiades quamvis dupli-

catus? nisi forte consulto factum esse statuimus, ut Pisthetaerus duplicem, Euelpidesincluderet multiplicem naturam.

Quodsi Suevernius (v. p. 31 et addit. p. 248 sq.) contendit se minime ea esse opinione, ut in hisce personis ipse Gorgias atque Alcibiades nobis repraesententur, verum nonnisi eius et similium consilia, rationes et proprietates eoque magis putat excusari posse singula, quae videantur ab uno alterove abhorrere, ea ipsa confessione totam eius concidere coniecturam nemo est qui non intellegat; sublato enim consilii istius certo auctore etiam res ipsa et imago corruit. Id vero me lubentissime concedere, ut universa aliqua animorum intentio sit in illis expressa personis, postea elucebit; simulque prorsus consentio viro doctissimo non licere, ipsi quasi praescribere poetae singulos terminos ac fines, ut quos non debeat egredi, qua re omnis poeseos eximatur libertas; neque id poterit negari multa esse in fabula dicta, quae maxime ad Alcibiadem et Gorgiam pertinere videntur, uti alia ad alios. *)

*) Satis ambigue dicit Suevernius in addit. p. 251: wer aufmerksam liest und auf die form achtet, wird auch finden, dass ich meiner deutung dieselbe lose und leichte haltung, vornehmlich an solchen nur dämmerlichten stellen zu geben gesucht habe, welche die dichtung selbst durchweg hat, und wohl beherzigte, dass dies heitere und bewegliche spiel des komikers auch mit heiterer

Mirum vero in modum abhorret utpupa a Lamacho, quocum praeter pennas cristasque fere nihil habeat commune; nam ut ille ipse adeo fuerit studiosus expeditionis in Siciliam occipiendae, ut ei tradi posset in fabula persona principis et signiferi, qui adiuvanda esse temeraria Alcibiadis consilia persuaderet levi plebeculae — quamquam de hac re neque Thucydides quidquam rettulit (L. VI, 8) neque Diodorus Siculus (XII, c. 84), quorum uterque non nisi memorat eum fuisse in numero imperatorum, sin autem Plutarchus, quo loco nititur maxime Suevernius, in vita Alcib. c. 18 dicit: *καὶ γὰρ ὁ τρίτος στρατηγὸς Λάμαχος ἡλικίᾳ προήκων ὅμως ἐδόκει μηδὲν ἧττον εἶναι τοῦ Ἀλκιβιάδου διάπυρος καὶ φιλοκίνδυνος ἐν τοῖς ἀγῶσι*, id nihil testatur nisi Lamachi in belligerando alacritatem, non eius approbationem expeditionis — illud certe plane est alienum, quod ille mandatis absolutis debet decedere veluti nullius pretii homo, qui contentus foret declamatoris ministerio. Simul Lamachus quoque alterum quodammodo involvit aetatis suae hominem, Demostratum, etsi declinare studet Suevernius p. 56, cuius orationem (Thucyd. VI, 25: *καὶ τέλος παρελθών τις τῶν Ἀθηναίων καὶ παρακαλέσας τὸν Νικίαν οὐκ*

---

und beweglicher phantasie aufgefasst und sein lustiges product nicht wie ein steckbrief behandelt sein will.

ἔφη χρῆναι προφασίζεσθαι οὐδὲ διαμέλλειν, ἀλλ' ἐναντίον ἁπάντων ἤδη λέγειν ἥντινα αὐτῷ παρασκευὴν Ἀθηναῖοι ψηφίσωνται, cll. Plut. Alcib. 18 Nic. 12) respexisse poetam in illa upupae adhortatione vv. 639 sqq.

> καὶ μὴν μὰ τὸν Δί' οὐχὶ νυστάζειν γ' ἔτι
> ὥρα 'στὶν ἡμῖν οὐδὲ μελλονικιᾶν
> ἀλλ' ὡς τάχιστα δεῖ τι δρᾶν

Suevernii est coniectura sane quam probabilis. Aves autem ipsius Atheniensium prae se ferre volubiles animos nemo qui neget invenietur; at si deos illos, quos extrema fabula prodeuntes videmus in scenam, ut paciscantur cum Pisthetaero, Suevernius intellegit esse Lacedaemonios, id vix quisquam sibi poterit persuadere, qui secum reputet Spartanorum mores et agendi cogitandique rationem. An tandem illius aetatis Lacones potuisse adduci, tam foedam ut inirent et ignominiae plenam societatem, quam probatam videmus in fabula Herculi Triballoque? At quod praecipue est considerandum, hoc si fuisset in fabula scribenda Aristophanis consilium, ille non spectaretur acutissimus populi sui ac temporis vates, quem praeterisset, quod optimus quisque et sanissimus debebat praevidere (cf. Thucyd. II, 65 et Niciae orationem ib. VI, 9 sqq.), tantum abfuisse ut feliciter procederet tota ista expeditio, nedum eiusmodi audacia tentaminda, qualis Alcibiades exponit Lacedaemoniis (Thucyd. VI, 90 sqq.) exterris ipse eosque irritaturus —

et quid vetat cogitare rem auxisse Alcibiadem ut quae vellet melius exequeretur — ut ne prior quidem patriae potestas firmis staret innixa columnis, sed omnia iam vacillarent et in praeceps ruerent; nisi forte quis totam fabulam sic esse intellegendam censebit, ut quae in ea agantur per ironiam quandam utpote infecta et irrita derideantur.

Aliam viam ingressus est Roetscherus, qui in epimetro libri iam supra laudati p. 378—387 exposuit de principali sententia (idea) Avium Aristophanis. Ille pro scholae suae ratione ac tota haec studia tractandi norma non potuit non discedere multum a Suevernii opinione, quum hic incedat in munito rerum historiarumque tramite, ille omnes res quae oculis cernuntur in vita non adspiciat nisi tamquam philosophicae sententiae filiolas. Jam vero omissa quaestione utra sit ratio certior minusque proclivis, paucis repetamus huius viri expositionem. Postquam optimo iure reiecit illorum opinionem, qui in hac fabula mixtam tantum et varie distinctam conspiciunt animi imaginem, transit ad ipsas comoediae partes primarias. Chorus, inquit, quem formant aves, recondit hac persona legum mobilitatem atque morum extremam levitatem, qua sui unusquisque ipsius studiosus non moratur cetera omnibusque communia. Illae aves eo etiam procedunt, ut se diis esse superiores potentioresque censeant. At quum chorus pro vera

sua ac propria indole debeat prae se ferre morum integritatem et vitae castitatem, exuunt externum illud quo sunt velatae aves involucrum et tacite vel occulte ostendunt ipsarum naturae contrarium*). Jam vero, qui alterum comoediae spatium explent homines, debent ex parte ipsius poetae proferre animi sententiam; sunt illi in hac fabula Pisthaeterus et Euelpides. A principio quidem ipsi subveniunt avibus atque incendunt eas ad summam levitatem et morum dissolutionem; at hoc ipso facto Pisthetaerus interna voce admonitus flectitur in contrarium nec aperit novae urbis portas hominibus a iustitia morumque constantia aversis. Ita fit, ut et chorus et Pisthetaerus sui ipsorum evadant personae contrariae **). Verum non sufficiunt quae adhuc sunt prolata; restant dii avium imperio subigendi, quorum quia reverentia et sanctitas iam evanuit

*) Haec sunt verba Roetscheri p. 380: „aber dieser flüchtige vogelschwarm bildet den chor, der seinem wesen nach den widerspruch und gegensatz dieses unendlichen leichtsinns ist und vielmehr die sittliche substanz darstellt. Die vögel zeigen daher, durch ihre erscheinung als chor, sogleich stillschweigend den gegensatz ihres symbols, oder sie vernichten unmittelbar mit ihrer erscheinung den ernst ihrer maske."

**) Idem p. 385: „also sprechen der chor und Peisthetaeros ein und dasselbe bewusstsein aus und sind beide die ironie ihrer selbst."

ex animis plebeculae, introducuntur ipsi supplices et cupiditatibus magno opere indulgentes. Omnia haud diu cunctantes promittunt et pactione facta regina redditur a Jove Pisthetaero, qui evadit princeps et imperator. Haec avium respublica repraesentat Atheniensium tunc temporis civitatem volubilem illam ac mobilem, in qua iam non vigeat sancta legum decorumque verecundia et casta morum probitas, sed singulorum arbitrio ac vecordiae sint omnia obnoxia atque adeo quidem, ut tanti rerum publicarum perniciei ne antiqui quidem et cordati obsistere queant homines, quippe ipsi iam eodem abrepti gurgite et in praeceps deiecti. Haec fere Roetscherus.

Quatenus vero me inter conveniat et Roetscheri de consilio huius fabulae iudicium, postmodo luculentius apparebit, dum in ipsa eius ratiocinatione duo sunt in primis, quibus mihi videtur esse oppugnandum; quorum unum est illud, quod dicit auctor et chorum et Pisthetaerum eodem ferri animo impetu suique ipsorum esse ironiam; id enim plane mihi videtur a natura chori alienum, ut sentiat alia, alia verbis enuntiet eaque per totam comoediam continua, quo pacto omnem vim et potestatem Atticae comoediae absumtam esse et ereptam nemo non intellegit; etenim non solum, quae iocose faceteque sunt interiecta a poeta, privarentur lepore suo ac grata festivitate, verum etiam, quae acerbe monita et gravi cum dolore per chorum

spectatoribus proposita, nihil ad movendos animos conferrent et mores emendandos; in qua re ipsa singularis versatur hujus poeseos virtus, quia exuta non nisi specie ac forma, neutiquam re ac natura, ducenda est pro comoedia. Nec magis arridet Pisthetaerus ironia, quam persona duplicatus. Alterum est istud, quod Roetscherus, quum finem fabulae hunc esse contendat, ut exhibeatur a poeta imago extremae omnium rerum dissolutionis, neque quidquam demonstretur superesse, quod iam ruentem lapsum aut retardare possit aut prohibere, simul optimum quemque ac poetam ipsum rapido perniciei flumine censet esse abreptum. Namque ubi hoc pro certo posuimus, praeterquam quod repugnat rerum veritati et ipsius Roetscheri de Aristophane iudicio, poeta nec auctor appareret artificii nec bonorum morum vindex, atque turbulento immersus aetatis suae fluvio non libera voluntate ac nativa ingenii virtute protulisset opus egregium, sed ut dicam ex ratione Roetscheri inversum ac sibimet oppositum effutiret sententias, quas alias non audimus, nisi e limpidissimo verae poeseos fonte depromptas.

Denique memorandus est Droysenus, qui in Museo Rhenano (Vol. III, p. 161—209 et Vol. IV, p. 27—62) explicate egit de causa Hermocopidarum et de Avibus Aristophanis. Ille reiecta et derisa Suevernii coniectura ita pergit (Vol. IV, p. 46): „Gerade das muss vor allem aufrecht erhalten werden, dass das ganze ein

vollkommen phantastisches spiel ist, dass sich alles wirkliche und factische durch eine in sich ganz verständige logik zu lauter idealität und überspanntheit sublimirt, die doch wieder an allen merklichen momenten der gegenwart dicht dahinstreift; das ganze erscheint wie eine Fata Morgana, die die wirklichkeit jedoch wieder durch alle diese verzogenen, koerperlosen, wehenden bilder hindurchschimmern lässt. Man vergegenwärtige sich den zustand Athens; Alcibiades ist politisch todt; der feldzug in Sicilien im gange ohne überraschende erfolge, die processe haben viele verhältnisse zerrüttet, nun ist es stiller in der stadt, auch der partheikampf ist abgestumpft, das volk mit heimischen dingen übersättigt, von Sicilien redet man mit langerweile; man ist blasirt; man will neues, neue projecte, je toller, desto besser, so reizt es doch. Diess ist die stimmung, zu der die vögel der poetische ausdruck sind". Hac fere exponendi ratione eo tandem perducitur res, totum ut appareat laetum gratumque somnium, quo per fabulae actionem consopiuntur Athenienses, ut illa finita subito quasi exterriti expergefiant atque hiantes oculisque semiapertis — memores nimirum Pisthetaeri moniti v. 164:

πρῶτα μὲν
μὴ περιπέτεσθε πανταχῇ κεχηνότες·
ὡς τοὔργ' ἄτιμον τοὔργον ἐστὶν —

discedant et somniorum lusibus in vitae publicae umbras.

Quum igitur accedat Droysenus in illorum virorum sententiam, qui in tota fabula nihil conspiciant nisi gratam quandam ac festivam mentis imaginem, in qua varii rerum publicarum inspergantur colores et in unum quasi cinnum confundantur, ut somniari possit multitudo animumque paulum reficere ex quotidianae vitae inertia, non possumus huic viro docto adiicere calculum; quo etiam id accedit, ut ille, praeterquam quod aspernatur omne comoediae consilium admonendi vitiorum spectatores eorumque mores erigendi, utpote mechanicum quoddam studium*), ipsi etiam Aristophani nolit impertire aliquam certe pristinae virtutis integritatisque particulam atque eum propter ipsum, quo ad caput usque imbutus est flagitiorum paedore, amabilem laudandumque inveniat**).

---

*) p. 54: „in dem traume sind tausenderlei dinge des heut und hier vorgekommen und das wirklichste ist wie das mährchen, das mährchenhafte wie wahr und wirklich gewesen; der zusammenhang aller der dinge ist dann nicht ihr äusserlich factisches verhalten in und zu der wirklichkeit, nicht eine gewisse mechanische tendenz, die das kunstwerk zu einem mittel erniedrigte, nicht ein fabula docet“ etc.

**) cf. ib. p. 55—59.

Itaque igitur omnis comoedia nihil esset nisi res ludicra, qua uti parvuli gaudent

aedificare casas, plostello adiungere mures,
ludere par impar, equitare in arundine longa,

ita oblectati essent Athenienses — σοφώτατοι θεαταὶ — atque vana suavium imaginum specie evecti in inanes somniorum regiones? An non licuisse Athenis, ubi „non modo libertas, etiam libido impunita“, quod alibi „ridentem dicere verum“, ubi

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi quod malus ac fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Vae tibi Aristophanes! quid tu cui esset admirabile ingenium et largissima poeseos vena abusus es hisce deorum donis, ut nugis iocisque vanos risus excitares? quid tu, cui Gratiae faverent uti non alteri, nihil protulisti in conspectum nisi icunculas vertebratas, quarum arte ludoque circa pagos et compita ventres spectantium pervellunt ventilatores? Age! cedas loco et transferas palmam aretalogorum turbae Stertiniis cordatisque subus Minervam.

Jam vero postquam quantum par fuerit varias doctorum hominum exposuimus sententias de consilio Avium Aristophanis atque ingenio neque vero ulla earum ita sit comparata, ut tamquam in certa et absoluta possimus in illa

acquiescere, ipsa rei conditione aliam ut ingressi viam indolem huius fabulae expediamus ac propositum propellitur animus. Qua ut iusto modo proficiamus, videtur esse necessarium paucis primum adtingere tempus, quo doctae sunt Aves eiusque praecipua momenta ac deinde, ne incurramus in praeiudicatae opinionis suspicionem, uti fere theologi quidam, antequam digna re aperta esset per Wineros aliosque interpretandi semita, dogmata sua non ex libris sacris, sed ex istis hosce extorquebant, ipso fabulae argumento et cursu breviter enarrato ut sobrie et rei convenienter de summo poetae iudicemus consilio navare operam; nam quum comici potissimum poetae maxime essent adstricti aetatis suae conditionibus nec aliunde haurirent fabularum materiem, nisi ex praesenti rerum statu, quem acute inquirebant et dispiciebant acerrimis oculis, nemo totam fabulae alicuius vim et quo singulae partes modo referantur quadrentque ad universum animo poterit concipere, nisi qui fundamentum prius, in quo ista innititur, diligenter firmeque eruerit.

Doctae sunt Aves, Chabria archonte Olymp. XCI, 2 Dionysiis urbanis una cum Amipsiae Commissatoribus et Phrynichi Monotropo, id quod docemur antiquis argumentis: ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ. et ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου, tum

ex Schol. Avv. 997: κάθηται δὲ ὁ Μονότροπος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ χωρίου εἴρηται, quod ita correxit Meinekius Hist. Crit. Com. Gr. I, p. 41: ἐπὶ τοῦ Χαβρίου ὡς εἴρηται vel προείρηται, qui idem vir egregius nescio an iure suffragetur l. l. p. 204 Theodori Bergkii coniecturae, qui utriusque fabulae Commissatorum pariter ac Monotropi auctorem esse censeat Phrynichum apud Fritzsch. Quaest. Aristoph. I, p. 322 et posthac in Comment. de reliquiis comoed. Att. p. 369. De harum fabularum argumento rectissime statuit Droysen. l. l. p. 45, cum quo conferri potest Bergkius in Comment. p. 370. Eodem anno actus est Lenaeis Amphiaraus Aristophanis, uti legitur in altero argumento Avium: εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου. Iam quum Suevernius l. c. p. 58 sq. et Droysenus l. l. essent suspicati, in hac fabula maxime vexatum esse Niciam eiusque moras et timores de expeditione in Siciliam mittenda collatos cum fortuna Amphiarai Thebas profecturi, aliam sententiam nuperrime protulit Th. Bergkius in Aristoph. Fragm. p. 61 sqq., qui putat in hac comoedia Aristophanem exhibuisse senem graviter illum aegrotantem ac superstitiosum, qui denique de salute desperans uxore comite ad Amphiaraum se conferat, ut ab hoc opem impetret; illumque etiam revera, sed ludicro fortasse quodam modo iuvenile robur recipere, quemadmodum fere in Equitibus senex ille δῆμος a vitiis resipiscat,

vel in Vespis Philocleon a nimia iudicandi libidine liberetur, vel in Senectute senes illi omnibus malis exuti lasciviant (p. 64); poetam vero hac imagine senis aegrotantis et superstitiosi derisisse vanam Atheniensium superstitionem, qua valde laborasse Niciam eoque etiam nomine perstrictum esse a poeta nihil impedire quo minus consentiamus. Haec explicandi ratio sane videatur probabilis, quantum quidem ex paucis comoediae illius discerni potest reliquiis. Utut est, illud non obnoxium putaverim dubitationi, quin Aves et Amphiaraus eo sint inter se assimiles, quod tempore sunt compositae, quo liberior illa comoediae notandi et perstringendi licentia paulum erat deminuta et arctioribus coercita limitibus. Nam illa fere aetate Syracosius quidam psephismate caverat, ne quis *ὀνομαστὶ* in comoediis traduceretur, uti comperimus e Schol. Avv. 1297: *δοκεῖ δὲ* (Syracosius) *καὶ ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὥς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί. κ. τ. λ.*; id quin nimis late sit dictum nullus dubito, quum ipsa nostra fabula vehementer repugnet, in qua complures neque ii omnes nullius auctoritatis lacessuntur homines, nisi cum Th. Bergkio (apud Fritzsch. Quaest. Aristoph. I, p. 319), cui adstipulatur Meinekius Histor. Crit. p. 40, angustiorem locutioni *κωμῳδεῖν ὀνομαστὶ* terminum statuendum esse arbitramur. De qua causa non abhorret a veritate, bene iudicasse Droysenum

l. l. p. 59 sq., qui illa rogatione maxime istos homines existimet ab acri defensos fuisse comoediae castigatione, qui in magnam et famosam implicati erant de Hermis mutilatis et mysteriis profanatis quaestionem.

His constitutis nemini erit admirationi, quod quattuor istae fabulae, de quibus adhuc facta est mentio, ita videantur esse comparatae, ut in illis non adtingantur res publicae earumque summi gubernatores et civitatis principes, nisi tecto quodam et obscuro modo, ne violasse viderentur poetae legem illam ipsis imminentem, quamquam non diu eam valuisse admodum est probabile. Quum igitur una quasi ora seclusa esset veteris comoediae auctoribus, damnum illud ut resarcirent et scite lepideve explerent inventis ortas lacunas, ipsa rerum conditione erant adacti. Recedebant paulatim ab austeriori illa ac severiori ratione, qua antea in scena traduxerant vel potius produxerant homines dignos vituperio ac pravis inservientes communique omnium saluti perniciosis cupiditatibus, Cratinus in primis et Aristophanes *), atque

*) Platonius *περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων* (apud Mein. Hist. Crit. p. 534): *Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς αὐστηρὸς μὲν ταῖς λοιδορίαις ἐστίν· οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ - ἀλλ' ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.* Anonym.

festivis quibusdam imaginibus et totius scenae splendidiori magnificentia tenere studebant et oblectare spectatorum animos, neque tamen res aliunde forsitan atque e praesentia aucupati, illi ut graviter commoti ex involucro isto propriam dispicerent excuterentque poetae sententiam, sedulo providebant. Id vero ipsum est, in quo egregium spectatur nostri poetae ac largum ingenium, ars illa nova inveniendi *) et quae sub specie elegantiae et leporis severum occultent aetatis suae iudicium, cuius rei luculentissimum in Avibus proposuit exemplum. Producuntur

de comoed. (p. 29, apud Mein. l. l. p. 536: γέγονε δὲ (Cratinus) ποιητικώτατος, κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα. Candidissimum de eo fecit iudicium Aristoph. in Equit. v. 526 sqq.

*) Hanc vim a natura sibi insitam et praeclaram ingenii ubertatem quum bene sentiret poeta, eodem modo, quo ingenue se praedicat Cratinus in Pitynes fr. VII. apud Meinek.

*ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων.*
*καναχοῦσι πηγαὶ, δωδεκάκρουνον τὸ στόμα,*
*Ἰλισσὸς ἐν τῇ φάρυγι. τὶ ἂν εἴποιμί σοι;*
*εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,*
*ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν —*

profitetur beatam novi inveniendi venam in Nubb. v. 545 sqq.

*κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ,*
*οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων,*
*ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,*
*οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.*

ineunte fabula duo senes vitae praesentis pertaesi, Pisthetaerus et Euelpides, ideoque Athenas relinquendi consilio capto escendunt aliam quaesituri urbem, in qua possint otiosi vivere ac securi — πλανώμεθα, Euelpides inquit, ζητοῦντε τόπον ἀπράγμονα. Perveniunt ad upupam, avium ducem sive Terea in volucrem commutatum, eique, postquam gratum exposuit advenis avium commercium, facile persuadetur a Pisthetaero, ut aerem inter et coelum novum condat oppidum et avitum recuperet a Jove avium imperium. Protinus ille convocat cantu lusciniae regni sui cives, qui primo singulatim deinde gregatim advolant, ut uterque Atheniensium admiratione ac metu impleatur, v. 294.

*ΠΕΙΣΘ.* *ὦ Πόσειδον, οὐχ ὁρᾷς ὅσον συνείλεκται κακὸν ὀρνέων;*

*ΕΥΕΛΠ.* *ὦναξ Ἄπολλον, τοῦ νέφους.*

cf. v. 305 sqq. Avium turbae primo parant internecinum bellum adversus hostes sibi infestissimos (cf. v. 343 sqq.), qui coguntur refugium petere pone ollas secum allatas. Ira avium upupae oratione defervescente prodeunt illi ex latebris et foedere ridicule pacto exponit Pisthetaerus avibus, qui fuerint et quales earum proavi, inter quae iacit Euelpides iocos lepidissimos, iisque demonstrat, qua ratione quoque loco sibi debeant arcem extruere, ut a diis sceptrum ipsis reddatur; unde laetitia exul-

tant volucrum greges et Pisthetaero consule facto, ut vindicent sibi qua dudum inscientes caruerint potestatem, invicem sese adhortantur v. 638 sq.:

ἀλλ' ὅσα μὲν δεῖ ῥώμῃ πράττειν ἐπὶ ταῦτα
τεταξόμεθ' ἡμεῖς·
ὅσα δὲ γνώμῃ δεῖ βουλεύειν ἐπὶ σοὶ τάδε πάντ'
ἀνακεῖται.

Deinde plumis induuntur Pisthetaerus et Euelpides, dum chorus magnifico sane et egregio cantico suam praedicat originem et invitat homines, ut volucres sequantur hisque uti diis obediant, quippe qui omnia illis sint largituri, uti canunt v. 729 sqq.

ἀλλὰ παρόντες δώσομεν ὑμῖν
αὐτοῖς, παισὶν, παίδων παισὶν,
πλουθυγιείαν,
εὐδαιμονίαν, βίον, εἰρήνην,
νεότητα, γέλωτα, χοροὺς, θαλίας,
γάλα τ' ὀρνίθων·
ὥστε παρέσται κοπιᾶν ὑμῖν
ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν·
οὕτω πλουτήσετε πάντες.

Postquam finita sunt chori carmina, redeunt duo senes ridiculum in modum compti avium insignibus (v. 801 sqq.) atque pluribus nominibus in consilio de appellanda nova urbe propositis et repudiatis vocatur ea Pisthetaero auctore Nephelococcygia cum ingenti upupae applausu, ad quam aedificandam statim sese accingunt et sacrificia faciunt. At vix est inchoatum, ubi iam se ap-

propinquant ii homines, quos ipsos evitaturi erant senes; poeta dithyrambicus, qui tumidis verbis extollit novam urbem et amiculo tunicaque donatus abit; fatidicus quidam insolens, Meton geometra, inspector clandestinus, legum propola, qui omnes inter summum risum spectantium et male mulcati de scena exturbantur (v. 904 — 1055). Dehinc intrant aedes Pisthetaerus et sacerdos ad sacra rite perficienda, inter quae carmen auditur de vita qua gaudeant aves suavi ac felici. Pisthetaero denuo in scenam egresso adest nuntius, qui late lepideque describit, quanta cum arte et quam mira celeritate perfecerint aviculae ingentem operum molem; ipse Pisthetaerus maxima perfunditur admiratione et aegre ad credendum potest adduci; v. 1166 sq.

*ΠΕΙΣΘ. νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε· καὶ γὰρ ἄξιον,*
*ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεταί μοι ψεύδεσιν.*

At turbatur haec laetibunda admiratio infesto quodam casu. Dii nimirum quum urbe ab avibus in aere condita interclusi essent a terris nec iam ad eos assurgerent victimarum odores, demittunt Irida, quae mortales admoneat officii erga supremos eosque impellat ad oves mactandas. Illa vero non potest nisi per avium arcem volare ad homines ibique capta adducitur ad Pisthetaerum, abs quo, licet minetur graves deorum iras v. 1238 sq.:

*ὦ μῶρε μῶρε μὴ θεῶν κίνει φρένας*
*δεινάς —*

infecta re propellitur. Interim redit legatus demissus ad homines et renuntiat Pisthetaero, quem mirum in modum effert v. 1271 sq.:

ὦ Πεισθέταιρ᾽, ὦ μακάρι᾽, ὦ σοφώτατε,
ὦ κλείνοτατ᾽, ὦ σοφώτατ᾽, ὦ γλαφυρώτατε,
ὦ τρισμακάρι᾽, ὦ κατεκέλευσον —

quanta sit facta apud mortales commutatio quantoque omnes flagrent avium regni studio atque amore. Plus decem milia adventura hominum, qui alas sibi et mores avium deposcant. Extemplo afferri iubet Pisthetaerus canistra pennis alisque impleta, dum chorus celebrat urbis recentis prospera incrementa et quidni ibi feliciter habitet homo, ubi (vv. 1320 sqq.)

σοφία, πόθος, ἀμβροσίαι χάριτες
τό τε τῆς ἀγανόφρονος ἡσυχίας
εὐάμερον πρόσωπον.

Hisce interpositis apparent patricida, Cinesias poeta dithyrambicus et sycophantes, omnes ardentissime cupiunt fieri aves; sed non alis solum, verum etiam plagis large affecti avolare coguntur v. 1336 — 1469, quae pars comoediae uti festivitate sic sententiarum acerbitate est inter praestantissimas. Sic a partibus hominum munitum est iuvenile regnum, sed quid de diis? num illi aeque se inclinabunt ad hoc volubile imperium? En! opportune advenit inveteratus deorum hostis, Prometheus atque, ne eum adspiciant dii, umbello bene obtectus aperit Pisthetaero deorum tristem conditionem mittendique

de pace legatos iniisse eos consilium, quam nullo pacto componendam esse Pisthetaero, nisi si tradidisset Juppiter et sceptrum et reginam in matrimonium. Dato consilio evadit Prometheus (v. 1494 — 1554). Huic parti et antecedunt et subiecta sunt carmina chori magnae gravitatis. Deinde procedunt Neptunus, Hercules, Triballus, dum Pisthetaerus praeparat lautissimam coenam nec ab initio deorum praesentia turbatur in negotio. Postquam illi quae esset adventus causa enuntiarunt, dicit se Pisthetaerus nulla conditione foedus esse facturum, nisi reddito a Jove avibus sceptro; si haec pacturi essent, vocare se legatos ad epulas. Hoc Herculi esurienti sufficit et Neptunus quoque primo quidem refragatus mox Pisthetaeri arguta eloquentia adducitur ut ineat foedus, cui etiam Triballum licet aliena ac barbara locutum accedere non diu litigant. At tempestive succurrit Pisthetaero se alterius conditionis plane esse oblitum et deposcit praeterea reginam sibi uxorem. Hoc movet Neptuni stomachum adeo, ut velit abire; at Hercules carnium odore dudum allectus resistit; non esse propter unam feminam disceptandum. Frustra studet maris gubernator convincere fortissimum Jovis filium, ipsi inde maximum enaturum detrimentum, quum Jove defuncto ad Pisthetaerum omnia sint reditura, ipse vero foret omni re atque opibus destitutus; nam hic multo illo disertior comprobat plane esse

contrarium nec Herculi utpote spurio ullam fore spem patrimonii vindicandi. Postquam denique Triballus feminam tradendam esse censuit, tacite consentit Neptunus (v. 1565—1693). Redeunt dii cum Pisthetaero ad Olympum, qui deinde inter laetos cantus et magnifico cum splendore uxorem ducit reginam.

Haecce tenuis eximiae fabulae adumbratio, quae nobis priusquam de proposito poetae eiusque consilio conaremur ferre iudicium delineanda esse videbatur, quum illud non in vario colorum, quibus distincta est imago, quaeri possit ornamento, sed in simplici quae toti fabulae subiacet sententia. Jam si quis sobrie contemplatur fabulae huius decursum quasi et actum atque totus in illa occupatus persequitur singula eius et praecipua momenta, quin una aliqua re se sinat retineri aut deduci, facile per certa vestigia inveniet primariam illam sententiam, qua motus et impulsus poeta hanc mirificam composuit comoediam. Etenim Aristophanes, qui omnis arctissimis adstrictus est aetati suae et patriae vinculis, qui quoad licitum erat et vires sufficiebant, popularibus non spectaculum solum, verum etiam speculum studebat offerre, in quo ipsorum repraesentaretur vita et ratio, proposuit in hac quoque fabula velatam quidem et large comptam imaginem, sed quae nihilo minus quin Lyncei requireretur acies dispici posset et emineret. Ut paucis absolvam, deridet hac splendida

imagine Aristophanes debilitatem pariter ac levitatem Atheniensium, qua potuerit evenire, ut loquacissimo cuique homini facillime gererent morem nec diu haesitantes vel perversissimis eius obedirent consiliis atque immemores iuris humani et antiquae religionis ipsum illum venerarentur augerentque veluti regem ac principem. Quae sententia quum fere quottidie ex vita et consuetudine populi denuo suscitaretur in animo poetae et novis semper probaretur rerum exemplis, non potuit non pectus eius gravissime commovere atque instimulare nervos, ut quae in pectore volvebat ea etiam in lucem proferret atque artis ingeniique ope exprimeret. Tota imago includit quodam modo praeceptum illud severum, quod in magnifica Ranarum parabasi dedit poeta patriae amantissimus popularibus v. 834 sqq.:

> ἀλλὰ καὶ νῦν, ὠνόητοι, μεταβαλόντες τοὺς τρόπους,
> χρῆσθε τοῖς χρηστοῖσιν αὖθις· καὶ κατορθώσασι γὰρ
> εὔλογον· κἄν τι σφαλῆτ', ἐξ ἀξίου γοῦν τοῦ ξύλου,
> ἤν τι καὶ πάσχητε πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε.

At quum illo tempore non liceret ei uti libera ista atque effrenata ratione, qua nobis populi

perversitates et civium vitia deridenda propinavit in Acharnensibus vel Equitibus, alia debuit via incedere eademque, uti mihi videtur, multo priori impeditiori quaeque antea vix esset calcata et parum munita. Nam quum superiori tempore in eo cerneretur comici poetae virtus atque ingenium, ut quae ei suppeditabat praesentis temporis ratio, ea ille scite deligeret atque sale facetiisque offusa produceret in publicum, iam triplex erat illorum officium, inveniendi rem aptam ac naturae poeseos convenientem, eam ornandi lepide ac caute involvendi, denique inserendi uti acerbas castigationes ita carmina vividis artis ingeniique floribus distincta; quibus postulatis omnibus egregie satisfecit Aristophanes in ea de qua agimus fabula. Nam sive spectamus inventi naturam et consilii veritatem, sive verborum et rerum ornamenta atque artem, qua aut tecte perstrinxit aetatis suae vitia aut impune tangit singulorum vecordiam, sive denique respicimus ea, quae propter poeseos decus et sublimitatem retinent animos, omnia ab omnibus partibus sic sunt perfecta et absoluta, ut data opera quod te moretur aut offendat queas nihil ibi investigare.

Comparaverim hanc fabulam cum arvo quodam laete ubique ac prospere virenti, in quo nusquam appareant tesqua et aspreta, sed omnia sunt velata amictaque florum herbarumque stragulo amoeno; sicuti enim in eiusmodi campo

diversissima quidem cernuntur plantarum florumque genera, quorum unumquodque aut colorum splendore eminet et formae pulcritudine aut delectat gratissimo odore, nec tamen possit fieri, ut tanta laetitia et hilaritate perfundatur pectus, nisi haec cuncta totum aliquod et unum efficiant, ita sunt in hac comoedia multa quidem et magna, quae iam per se sola oblectatione impleant legentium animos, sed quum totam illam comprehendimus mente atque ante oculos agi fingimus eandemque Athenis, tum profecto abripimur summa et auctoris admiratione et populi talium hominum genitoris.

Quemadmodum igitur Aristophanes in Amphiarao videtur vellicasse inanes Atheniensium oraculorum timores ac superstitionem, qua tum mirum quantum laborabant, ut ne Nicias quidem abesset ab ista credulitate, licet ille maxime timeret infelicem belli Siciliensis eventum, ita in hac quam eodem anno docuit fabula depinxit nobis populi sui immensam animi levitatem ac debilitatem. Quae sententia eo maxime defenditur, quod nihil ei in ipsa fabula repugnet atque quae poeta aut e suis ingenii fontibus aut e vitae publicae rivulis dehausta innexuit, ea in ista sententia tamquam in capite confluant et colligantur. Omnia autem singulatim enodare et unumquodque stamen liciumve, ut videamus quo modo sit texturae insertum, trepidantius dissolvere, id et a nostro proposito longe alie-

num duco et omnino rem supervacaneam, qua saepenumero a simplici via abducti palemur et per contortas artificiosasque semitas vix possimus nos expedire. Sicuti ipse poeta non anxie circumspicit, unde sibi petat ad opus conficiendum materiam, sed ei in ipso componendo accrescit moles, ut ad integrum et absolutum ingenii perducatur artificium, ita nos quoque non saxa debemus et lapides rimari nec quo sint illa glutine compacta, sed liberali animo ingredi aedificium et quacunque parte probe perspecta pensitare, quo sit illud fine extructum et num illi consilio omnia atque etiam ornamenta rite conveniant nec ne. Debebat quidem illud moliri Suevernius, quippe cui singula quaeque, quantum fieri licuit, trahenda erant et conquirenda, ut posset illud, quod excogitaverat, poetae consilium confirmari ac stabiliri, quum nobis ex illa, quam ex ipsa fabula eliciuimus, cogitatione sponte omnia decurrant, dummodo continuum fluvii cursum strenue sequamur. Sed quod adtinet ad illas res, quas poeta immiscuit aut a suo tempore petitas aut excogitatas ad risum plausumque movendum, eas explicare, componere, interpretari illius erit, qui totam fabulam edere atque illustrare apud animum constituerit.

Ne tamen videar levi rem adtigisse brachio neve mihi possit verti opprobrio, facile quidem esse componere aliquid atque mentis effingere subsidio, sed arduum approbare illud atque ex

ipsa rerum ratione coarguere, paucis et circumscripte exponam, quonam modo poeta illam animi sententiam forma induerit, ut laeta inde et vitae vigorisque plena evaderet imago. Quodsi vero contendi, debilitatem in primis ac levitatem hac fabula traductam esse Atheniensium, id nemo verum esse sibi poterit persuadere, quin antea omnino eorum suffragatus fuerit sententiae, qui totam comoediam non singulorum precaria opera innixam, sed e populi natura et rei publicae indole censent in lucem esse prolatam. Quemadmodum igitur populo scripta est comoedia, sic semper argumentum debebit esse populare dicam an civile. Jam vero in Avibus duo cives prudentis facundiae bonaeque spei novum quaerunt domicilium, altum illud et satis editum neque eos fugit, ad quem se debeant conferre, auguriis enim utuntur satis famosis; adsunt ad domum eius, qui iam praestolatur novum quoddam factum nec quamquam dormit cunctatur, quo minus senatum praebeat adeuntibus. Ipse de consilii virtute haud dubius convocat sodales, qui quidem incepti singularitate pariter atque auctorum indole perculsi atrocissimum quodque minantur, sed meliora edocti sedant animi fervorem et brevi post, quae abominanda sunt visa ac foedissima, ad coelum usque efferunt laudibus et sibi aliisque aureos montes pollicentur. Jam strata est patefactaque via illis homuncionibus; iam locus datus fallaci argutaeque facundiae nec ipsi sibi

desunt nec cessant ceteri. Sed disertus ille magis magisque eminet et relegat socium optimae spei plenum ad turbam in suum fructum operosam; in qua re magnum profecto inest momentum. Mittitur in cassum bona spes, quin quae expectaverat assecuta sit ac denuo reconditur in pectore hominum, qui sola illa sustineantur. Omnes maximo opere nituntur nec parcunt laboribus, quibus magnum aliquod se esse adepturos confidunt, quum re vera vana captent seseque ipsi decipientes non nisi uni pariant fructuosa emolumenta, ut hic ipse debeat mirari inexpectatum tentaminis eventum. Quidquid obstat, exturbatur; quidquid poscitur, adest; saeviunt furore quodam in sua intestina, ut ille boni consilii auctor particeps fiat debitae dignitatis. Hic vero susceptas partes egregie sustinet, est admirabilis homo; nam quum verbis fucoque externo recondat verum pectoris consilium, tutius potest et certius progredi ipsique illi, qui nunquam flecti posse videbantur, tandem inferiores decedunt certamine. Sic efficitur, ut iste voti damnatus nec ulla spe expectationeque falsus splendeat largo honorum lumine et gratia aequalium cumuletur.

Hac oblata opportunitate singulas quasdam liceat depromere in Aristophanem coniecturas, quibus aliquot locos labe affectos existimaverim restitutos; „nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero: sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura sequens.“

Av. v. 150. ὅτιὴ νὴ τοὺς θεοὺς, ὅς οὐκ ἰδών
βδελύττομαι τὸν Λέπρεον ἀπὸ Μελανθίου.

Bothius ὅσ' οὐκ ἰδὼν, cui nuperrime adstipulatur Dindorfius. Scribendum est:

ὅτι δή; νὴ τοὺς θεοὺς ὅς οὐκ ἰδὼν —

v. 180. ΕΠΟΨ. πόλος; τίνα τρόπον;
ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.
ὥσπερ εἴποι τις τόπος.

Repugnat hoc usui linguae Graecae, unde Hermannus Opusc. IV. p. 163 ὥσπερ εἴπῃ τις τόπος scribendum censuit, Dindorfius vero formulam ὥσπερ ἂν εἴποι τις vel ὡς ἂν εἴποι τις restitutam voluit. Si quid video, est corrigendum:

ὡσπερεὶ πόλις τόπος.

quod convenit et verborum lusui et quae statim sequitur argutae Pisthetaeri ratiocinationi. Non comprehenderat upupa, quo modo queat nominari avium πόλις πόλος; itaque sic demonstrat Pisthetaerus: πόλις est τόπος, τόπος semper circumactus potest nominari πόλος et si munitur evadit πόλις, uti igitur πόλις est τόπος sic etiam πόλος est πόλις.

v. 329 sq. ὅτ᾽ γὰρ φίλος ἦν ὁμότροφα δὲ ἡμῖν
ἐνέμετο πεδία παρ᾽ ἡμῖν

Bothius non iniuria offensus in illo παρ᾽ ἡμῖν tentavit παρ᾽ ἦμαρ, quod in hunc locum non quadrat, quia non valet „quottidie," uti explicat Both. Fortasse legendum:

ἐνέμετο πεδία παρῆλιξ —

voci παρῆλιξ bene respondeat illud ὁμότροφα πεδία. Idem vocabulum intercidisse videtur in glossa apud Bachmann. Anecd. Gr. I. p. 333 post vocem πάρηβος.

v. 374. πῶς δ᾽ ἂν οἶδ᾽ ἡμᾶς τι χρήσιμον διδάξειαν ποτε
ἢ φράσειαν —

Ravenn. et Florent. χρήσιμον ἤ, unde Reisig. Coni. p. 129 ad removendam caesurae violationem

πῶς δ᾽ ἂν οἶδ᾽ ἡμᾶς τι χρηστὸν ἐκδιδάξειάν ποτε,

malim: χρηστὸν ἢ διδάξειάν ποτε. cll. v. 439.

v. 435. ἄγε δὴ σὺ καὶ σὺ τὴν πανουργίαν μὲν πάλιν —

μὲν ex Rav. Ven. Flor. additum, in reliquis codd. deest, nescio an praestet νῦν πάλιν cf. v. 448 sqq.

v. 459. ἀγαθὸν πορίσας τοῦτο κοινὸν ἔσται.

versus antistrophicus 547:

τά τε νόττια κἀμαυτὸν οἰκήσω

non respondet. Dindorf. κοινῇ 'σται aut saltem ἔσται κοινὸν, quod posterius aperte est falsum, illud improbabile. Fortasse: τοῦτο κοινοῦται.

v. 631. sqq. ἣν σὺ παρ' ἐμὲ θέμενος
ὁμόφρονας λόγους δικαίους,
ἀδόλους, ὁσίους,
ἐπὶ θεοὺς ἴῃς —

Dindorfius, cui vox ὁσίους expellenda videretur, scripsit:

ἣν σὺ παρ' ἐμὲ θέμενος ὁμόφρονας λόγους
δικαίους ἄδολος ἐπὶ θεοὺς ἴῃς —

prior versus est absolutus, sed plane eiicere ὁσίους non auderem; puto hoc latere:

δικαίους, ἀδόλους ὅρκους,
ἐπὶ θεοὺς ἴῃς.

v. 826. λιπαρὸν τὸ χρῆμα τῆς πόλεως.

Non repugnabo, si quis maluerit: λιπαρὸν τὸ σχῆμα.

v. 840. λεκάνην ἀνένεγκε, κατάπεσ' ἀπὸ τῆς
κλίμακος —

quid sibi vult κατάπεσ'? Lusit agrestius paulo poeta et dixit: κατάχεσ' nisi infinitivum mavis καταχέσ' pro imperativo positum.

v. 926. σὺ δὲ πάτερ κτίστορ Αἴτνας
ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε, —

est hoc ex hyporchemate Pindari, uti docet schol. sed illud *Αἴτνας* non putaverim intactum reliquisse Aristophanem. An forte placet; *Αἴθρας*.

v. 1196. *ἄθρει δὲ πᾶς κύκλῳ σκοπῶν* —

Versus mancus quem haud male Reisig. Conj. p. 276 sic explevit:

*ἄθρει δὲ πᾶς τις πανταχῇ κύκλῳ σκοπῶν,*

vero tamen est similius turbatum esse versus exitum, unde malim:

*ἄθρει δὲ πᾶς κύκλῳ διασκοπῶν καλῶς.* — cf. Thesm. v. 666.

v. 1221. *ἀδικεῖς με καὶ νῦν.*

Sic Ravenn. rectissime neque opus est mutatione, dummodo adscribas haecce verba Iridi eique interroganti.

v. 1556. *ἔνθα καὶ Πείσανδρος ἦλθε*
*δεόμενος ψυχὴν ἰδεῖν, ἣ*
*ζῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπε,*
*σφάγι' ἔχων κάμηλον ἀ-*
*μνόν τιν'* —

Sugillatur h. l. Pisander, Acharnensis, homo in bello Peloponnesio haud exiguae potestatis (Thuc. VIII. 53. 65. 68. Mein. I. p. 176 sqq.), propter ignaviam et corporis vastitatem; huc nempe pertinet illud:

*σφάγι' ἔχων κάμηλον ἀ-*
*μναῦ τιν'* —

sic enim mihi scribendum videtur, unde vocatur ὀνοκίνδιος in Eupol. Maric. fr. 6 et in Hermipp. Pistrid. fr. 3 ὄνος κανθήλιος, quem locum nimis violenter tractavit Fritzsch. ad Thesmoph. p. 315, qui idem minime mihi persuasit, duos Pisandros h. l. exagitari ab Aristophane. Equidem v. 1563 recepta Bentlei coniectura πρὸς τὸ λαῖγμα τῆς καμήλου, quam Dindorf. quoque nuper comprobavit, quin nodos quaeram in scirpo totum locum ita explico: Pisander animam e corpore metu exactam revocaturus mactat agni camelum quendam, i. e. enormis magnitudinis et deinde descendit, dum ipsi ad Eputolas pallidus assurgit Chaerephon. In hoc non aenigma est, sed miraculum, id quod requiritur; nam nihil et viderunt et narrant aves nisi monstra ac portenta. cf. v. 1470 sqq.

Thesmoph. v. 18. ἀκοὴν δὲ χοάνης ὦτα διετετρήνατο.

Reisk. et Tyrwhit. δίκην δὲ χοάνης. Fritzsch. ἀκμῇ δὲ χώνης. Scribe:

ἀκοὴν δὲ χοάνῃ ʼπειτα διετετρήνατο.

Primo, dicit Euripides, aether fecit oculum similem rotae solis, auditum vero infundibulo (sc. ἀντίμιμον) deinde perforavit. ἔπειτα fere requiritur propter antecedens πρῶτα. Aphaeresis habebit excusationem, si contuleris Equ. 632. 658. 851. Ach. 535. 828. 1079. Nub. 195 etc.

v. 80. ἐπεὶ τρίτη ’στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση. Loco valde obscuro lucem adtulisse me putaverim hac emendatione:

ἐπεὶ τριβή ’στι Θεσμοφορίων ἡ μέση.

v. 217. ἢ μὴ διδόναι σοί γ’ αὐτὸν ὤφελόν ποτε. Sic Fritzsch. qui sensum recte enucleavit sed eius coniectura non suppetit. Expectamus tale quid:

ἢ μὴ διδόναι σοὶ γαῦρον ὤφελόν ποτε.

alludit poeta fortasse ad Euripidis versum e Philoctete (fr. I.)

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ,

quemadmodum in Ran. v. 284. cf. Bachm. Anecd. Graec. I. 183. s. h. v.

v. 365. ἢ Μήδους ἐπάγουσι τῆς
χώρας οὕνεκ’ ἐπὶ βλάβῃ —

Fortasse:

τῆς
φώρας οὕνεκ’ ἐπὶ βλάβῃ.

v. 560. οὐδ’ ὡς τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει γυνὴ
κατεσπόδησεν —

Rescribo assumta Hermanni emendatione:

οὐδ’ ὡς πελέκει τὸν ἄνδρα τις γυνὴ κατεσπόδησεν.

Sed haec hactenus. Pag. 20 l. 1 scr. quae.

**Ex officina typographica Wolfiana.**